Quaestio Medica Quodlibetarijs excutienda disput. In scholis Medic. die Jouis 17 Januarij.

M. Jacobo Nicolas D. Medico Moderatore Prudentissimo.

An Par foeminis omnibus Mensium necessitas?

Inter animantia quae foetum utero gerunt, foeminae sanguine menstruo abundare necessum est, à quo tum partes carnosae dissitaeque temporis progressu materiam et formam, solidae vero naturae frigidae incrementum accipiunt: tum foetus ipse respiratione non indigens nutrimenta capessit, infansque in lucem editus alitur. quae alimenti ubertas et superfluae vasorum maribus frigidiores et imbecilliores natura constituit. sed et omnium animantium generis mulier quia pleniore cibo utitur, minusque exercetur plus sanguinis coacervat, qui non ut in calidioribus in pilos et ungues, et partium munere excludendos consumitur, neque ob laboris et caloris inopiam discutitur, sed sola quantitate noxius singulis mensibus, luna per … foras excluditur.

Neque tamen quavis aetate eundem expurgari contingit. Nam ut maribus circa pubertatis annos ob caloris ἔκλαμψιν fiunt haemorrhagiae, sic puellis etiam ad incrementum pervenientibus annum aetatis circiter 14 menses erumpere incipiunt. tum enim exuberans et exterminatus sanguis non attrahitur, sed (maxime in virginibus, et gravidis et nutricibus) in uteri venas effunditur. verum si unum in gravidis cursum diutius remeat abortus consequitur. Senectus vero morborum feracissima ut caloris, ita sanguinis inopia menses supprimit ab anno 50. Nonnullis tamen citius aut tardius pro victus et naturae varietate erumpunt, et fluere desinunt.

Inter mulieres plus sanguinis menstrui reijciunt juvenes senioribus, graciles pinguibus, aut corpulentis, debiles robustis, fuscae candidis, edaces frugalibus: itemque vere tempore gratissimo et saluberrimo et aestate quam reliquis temporibus, coelo pluvio et austrino, quam aquilonio, quod tamen maiorem mulieribus affert caliditatem. Praeterea eiusdem ubertatem efficiunt potus liberalis, vita hilaris et otiosa, somnus longior quam iustus, temulentis, studiosis, ventriculum infirmum habentibus et molesta evacuatio uteri conducit. Contra menses imminuunt labor, cura, maeror, vigilia, inedia (pituitosis aptissima) et quaevis alia sanguinis evacuatio, per nares, per vesicam, per haemorrhoides quae toto genere praeter naturam esse constat, alioqui praegnantibus, nutricibus omnino natura supprimuntur.

At si quae nec praegnans nec puerpera est lac habet, ei menstrua praeter naturam deesse dicendum. quod fit vitio facultatis, sanguinis vel instrumenti. facultas expultrix quavis intemperie infirma redditur, aut animi pathemata veluti subito timore ita commovetur ut sui instituti obliviscatur. sanguis vel copia, vel crassitie venas obstruit. prava instrumentorum conformatio spectatur maxime in maribus excludendo sanguini destinatis, qui vel adstringuntur frigore, siccitate uteri, eductione, contorsione, vel comprimuntur adipe, tumore, vel obstruuntur carne, cicatrice, crasso et viscido humore cotyledones infarciente, qui suffitu aromatum odoratissimo attenuatur, nisi capitis gravitas impediat.

Subsidentibus menstruis longe plures graviores que affectus, quam ipsis fluentibus excitantur, ut phlegmone erysipelas, in inguinibus utero perniciosus, + cancri occultus (quem non curare malim) uteri strangulatus minus quam à putri semine periculosus, epilepsia, melancholia quae in philosophiam degenerat, arthritis amicis parentibus puerilibus, hydrops extincti caloris soboles, tabes quae ab ulcere pulmonis curari nequit. Hinc tamen mulieres, quae nulla ex suppressis menstruis molestia afficiuntur: quae quia non purgantur concipere non possunt.

Par igitur non est foeminis omnibus mensium necessitas.

Ponebat Petrus Quineffault Pictaviensis. 1577.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

D. Doct. Disputaturi.

M. Nicolaus lambert.	M. Joannes Beauchesne.	M. Petrus Honget.
M. Guillelmus Lusson.	M. Joannes Riolan.	M. Marcus myron - Med. Reg.
M. Ægidius Heron.	M. Joannes Haubin.	M. Simon Seguyn.

Ipse Quineffault urbem abbatisvillam in picardia profectus est ubi Medicinam fecit anno 1580 in qua tandem plenus annis et bonorum decessit.